

## P R A E F A T I O

docti opinio, non videt. Ordinem quidem apologiae Socratis eum instituit et ad fineir vsque libri seruauit Xenophon, quem rerum tradendalium dignitas et natura cum perspicuitate explicanda exigelat; itaque in dictis factis que Socratis enarrandis et philosophia eius, quae tota disciplina morum vitaeque ciuilis prudentia continebatur, interpretanda exemplum simul aliis imitandum proposuit, quo sint ordine moralis philosophiae praecepta tradenda.

Versione latina ab eodem viro docto adiuncta possumus nos quidem Germani facile carere, praecipue tali, qualem ex tot tamque notis exemplis expectaueris. Textus graeci, cui subiecta est versio latina, curam ipse *Edwards* absoluit; annotationes autem et variantium lectionum ex libris manuscriptis collectorum indicem addidit amicus *H. Owenus*. Ex annotationibus igitur retuli in hanc nouam recensionem, quicquid vel leuissimam aut ingenii aut veri speciem habere mihi visum est; errores manifestos plane omisi. Deinde fideliter omnem lectionis varietatem excerptam ad suum quemque locum apposui; quascunque autem librorum scriptorum lectiones vulgatis meliores esse et dubitatione omni carere putabam, eas statim in vulgatarum loco restitui; reliquas ad annotationes reieci, ita, vt de quibus statuere equidem non sustinerem, aut quae manifesto falsae essent, eas sine vlla annotatione simpliciter ponerem. Codices ipsos, ex quibus variae lectiones fuerunt exscriptae, vnde omni, designauit iisdem et litterarum et numerorum notis, quas posuit *Owenus*. Notitiam eorum, qualem reperio ab eodem viro docto traditam, breuiter nunc repetam. De cura, cum qua comparatio ipsorum cum lectione vulgata fuerit instituta, et a quo, equidem iudicare non possum, nec aliquid ea de re significauit *Owenus*; nisi quod Parisienses regii Codices comparati fuisse videntur a Gallo *Belin*, cuius nomen et iudicium interdum additum conspicitur varietati Codicum excerptae.

Tres igitur Vaticani libri significantur numeris 1. 2. 3.  
Vnus olim Bibliothecae Ducum Vrbini, signatus num. 63.  
in